

The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

Religio as cum fonte primo

Sunt enim quidam qui mente uagi, oculis attoniti, habitu dissoluti, plana parietum prospicientes perlustrant; aliud cantant et aliud cogitant. In choro sunt corpore et in foro mente; nunc intus, nunc foris exeunt.

Psalmodie uerba proferunt, sed psalmodie sensum non intelligunt.

Sunt alii uoce dissoluti qui uocis modulatione gloriantur, nec tantum gaudent de dono gratie, sed eciam alios spernunt, tumentes elatione, aliud cantant quam libri habeant, et

quanta est leuitas uocis, tanta forsitan est et mentis. Cantant forsitan ut placeant populo magis quam Deo.

Si sic cantas ut ab aliis laudem queras, uocem tuam uendis et facies eam non tuam sed suam.

Hugo ibidem (libro de claustro anime et de duodecim abusionibus).

Sunt enim quidam, qui mente uagi, attoniti oculis, habitu dissoluti, plana parietum prospicientes perlustrant, aliud cantant, et aliud cogitant. In choro sunt corpore, sed in foro mente; nunc intus sunt, nunc foras exeunt: nec tantum intus dissoluti, sed etiam cum exierint foras curiosi.

Psalmodiae uerba proferunt, sed psalmodiae sensum non attendunt. Unde beatus Gregorius. «Vox, inquit, psalmodiae cum per intentionem cordis agitur, per hanc omnipotenti Deo ad cor iter paratur, ut intentae menti, vel prophetiae mysteria vel gratia compunctionis infundatur.» Idem in eodem: «Dum, inquit, per psalmodiam compunctio effunditur, via nobis in corde fit, per quam ad Jesum in fine pervenitur.»

Sunt etiam alii uoce dissoluti, qui uocis suae modulatione gloriantur, nec tantum gaudent de dono gratiae, sed etiam alios spernunt tumentes elatione, aliud cantant quam libri habeant, et aliud forsitan iterum dicturi, si sint illud idem iterum cantaturi.

Tanta est leuitas uocis, forsitan et mentis. Cantant forsitan, ut placeant populo magis quam Deo.

Qui sic cantant, non cantant cum Maria sorore Moysi, sed in palatio cum Herodiade, ut placeant discumbentibus vel Herodi. Timeo autem, ne sicut delectantur altitudine uocis, delectentur etiam elatione mentis. Nemo tamen altius cantat eo, quem Dominus exaudire consuevit de monte sancto suo, nemo dulcius quam cui Dominus inclinatur aurem suam. *Voce mea*, inquit David, *ad Dominum clamavi, et exaudivit me de monte sancto suo (Psal. III)*. Esto igitur in valle humilitatis, ut in monte sancto exaudiri merearis.

Si sic cantas, ut ab aliis laudem queras, uocem tuam uendis, et facies eam non tuam sed ementi suam.

Hugo de Folieto, *De claustro anime libri quatuor*, 2, 22 (PL 176, col.1080B-D).